

fit, item ubi ejus parentes etiamnum existant. Sanchez loc. cit. n. 1. Inola in c. Dilectus, de Rescript. n. 10. Jul. Clarus in Pract. Crim. lib. 5. §. 5. q. 39. n. 8. Bolco loc. cit. dicens esse certum. Ratio est; quia pro illo tempore sine domicilio, sicque vagus est, consequenter à quovis Parocho loci, ubi existit, valde copulari potest, juxta statim dicenda H. N.

88. Resp. I. Parochus proprius vagorum in ordine ad Matrimonium, est quivis Parochus illius loci, ubi vagi actu versantur, Bolco loc. cit. Sanchez loc. cit. n. 5. & 11. Gutierrez loc. cit. num. 10. Pontius lib. 5. cap. 14. Pirbing. h. i. n. 19. cum communi aliorum. Ratio est; quia & hi debent habere aliquem proprium Pastorem, sed alius magis congruus astrui nequit, quam Parochus loci, in quo versantur, utpote à quo etiam alia Sacramenta percipiunt; ergo. A cedunt plures Declarationes Cardinalium, de quibus testatur Pontius loc. cit.

89. Resp. II. Parochus loci, in quo vagi actu versantur, valide assistit Matrimonio, etiam si unus tantum, ex eis sit vagus, Sanchez loc. cit. n. 14. Gutierrez loc. cit. n. 8. & alii. Ratio est; quia ad valorem Matrimonii sufficit, quod alterutrum Sponsi Parochus assistat, juxta dicta n. 63. atqui Parochus loci, in quo vagus pro tempore moratur, est proprius ejus Parochus per dicta n. m. praeced. ergo.

90. An plures utraque n. 88. & 89. data Conclusio etiam ad casum, quo Sponsi ea intentione & animo, ut citius ac certius alibi copulentur, domicilium, quod habent, relinquunt, sicque aliquam quasi fraudem & dolum committant; dummodo vero & non ficto animo illud deserant, & ad aliud brevi se conferre revera non intendant, Sanchez loc. cit. n. 11. Pontius loc. cit. n. 6. Gutierrez loc. cit. n. 11. Bolco loc. cit. n. 443. Cardinalis de Luca, de Matrim. disp. 1. n. 9. & seqq. dicens sepe esse declaratum à S. Congregatione, fraudulentiam non obstat mutationi domicilii, nec invalidare Matrimonium. Idem docet, & de S. Congregationis Declarationibus testatur Fagnanus in c. Significavit, de Paroch. n. 37. & seqq. Ratio est; quia in tali casu hujusmodi personae revera sunt vagae per dicta supra n. 86. & 87.

91. Nec dicas, fraus & dolum alicui patrocinari non debent, c. Sedes. 15. & c. Ex tenore. 16. de Rescript. Negatur enim, hic intervenire talem fraudem, cui resistit Jura; cum tales personae utantur jure suo, quod casus licitus est, pro libitu domicilium deferere; Nullus autem videtur dolo facere, qui utitur jure suo, L. 55. ff. de Reg. Jur. & L. 3. §. 2. ff. de Homine lib. exhib. ibi: Quia dolo malo non videtur habere, qui utitur jure suo.

Dicitur tamen notanter, dummodo vero & non ficto animo illud deserant &c. hoc enim nisi fieret, vera fraus committeret, & Matrimonium invalidare videretur per ea, quae dicuntur infra n. 126. ubi vide.

92. Resp. III. Quamvis Matrimonium vagorum validum sit, etsi Parochus loci sine ulla praecedenti inquisitione de vagorum statu libero, & habilitate eisdem assistat, tamen ut licite quoque assistat, prius de eis diligenter inquirere, & inquisitione facta rem ad Ordinarium deferre, ab eoque licentiam obtinere debet. Unanimitis, ob claram dispositionem Concilii Tridentini Sess. 24. de Reform. Matrim. cap. 7. ibi: Parochis autem praecipitur illorum Matrimonium inesse nisi prius diligentem inquisitionem fecerint, & re ad Ordinarium delata, ab eo licentiam id faciendi obtinuerint. Ratio est; periculum, ne tales vagi alibi uxorem jam habentes alteram ducant, prout Concilium ibid. praenovit illis verbis: Nulli sunt, qui vagantur, & incertas habent sedes,

& ut improbi sunt ingenii, primò uxore relicta aliam, & plerumque plures, illà vivente diversis in locis ducunt. Cui malo S. Synodus cupiens occurrere, omnes, ad quos spectaret, potèrè monet, ne hoc genus hominum vagantium ad Matrimonium facile recipiant, Magistratus etiam saeculares hortatur, ut eos severe coercerent.

Hinc infert Sanchez loc. cit. n. 15. cum communis aliorum, Parochum, qui sine inquisitione facta, & licentiâ ab Ordinario obtentâ, vagorum Matrimonio assistit, mortaliter peccare; quia in re gravissima agit contra praecipuum Ecclesiasticum.

Quòd autem nihilominus valet tale Matrimonium, tenet Sanchez loc. cit. n. 16. Pontius loc. cit. n. 8. cum communi, & certa aliorum. Ratio est: tum quia ad huc adhuc essentialia, & necessaria requisita ad Matrimonium. Tum quia Concilium Legi suae non apposuit clausulam irritantem; conjugia autem contra simplicem Legem non habentia clausulam irritantem subsistunt, arg. c. Ex litteris. 2. in fine. de Matrim. contra interdict. Ecl. & pro regula tradit Sanchez. Accedit Declaratio Cardinalium, de quo loc. cit. testatur Sanchez; ergo.

Quæritur V. An, & quando milites veniant nomine vagorum? & quis sit proprius Parochus eorum? Item an, & quid circa Matrimonium Militum valeant Curiones, seu Capellani Castrenses? Resp. I. Si Milites in Castris, aut Papiionibus existens non habent Capellanum Castrensem pro animarum Cura eorundem, à Sede Apostolica deputatum, vel ab Ordinario, in cujus Diocesi existunt, approbatum & expositum, vagis annuncerantur, consequenter eorum Parochus erit ipse Parochus loci, in quo pro tempore existunt. Conclusio patet ex dictis: cum enim Milites in Castris existentes, nec verum nec quasi domicilium habitationis habeant, juxta dicta n. 86. tales autem revera vagi sunt, per dicta n. 86. consequens est, quòd Parochus eorum proprius sit loci, in quo pro tempore existunt, per dicta supra n. 88.

Resp. II. Si Milites habent Curionem, seu Capellanum Castrensem praedium specialia facultate Apostolicae sedis, vel approbatione & licentia Ordinarii, in cujus Diocesi illos extare contigerit, poterit hic eisdem Sacramenta administrare, ac etiam Matrimonio eorum assistere juxta tenorem facultatis concessae à Sede Apostolica, vel ob Ordinario Diocesis, in qua pro tempore Milites existunt; ita ut si haec non tantum pro castris, sed etiam pro Praefidiis sonet, utrobique Matrimonio assistere valeat; si autem tantum pro uno aut altero loco, vel tempore concessa inventur, eidem se accommodare debeat. Patet Conclusio. Cum enim non tantum Pontifex, sed & Ordinarius alicui Sacerdoti aliàs non Parocho dare possit licentiam assistendi Matrimonio, textu claro Concilii Tridentini Sess. 24. de Reform. Matrim. ibi: Seu Ordinarii licentia manifestè patet, quòd si hic vel ille eam dat, & prout dat, taliter & non aliter eadem frui valeat Capellanus Castrensis.

Resp. III. Si Curiones seu Capellani Castrenses non habent specialem facultatem à Sede Apostolica, vel expressam licentiam, & approbationem ab Ordinario, in cujus Diocesi pro tempore existunt, tunc nec in Castris, nec in Praefidiis seu quarteris Matrimonio Militum valde assistere possunt. Haec Conclusio licet olim multum hinc inde disputata & controversa fuerit, tamen hodie certa est ob Declarationem Cardinalium repetitis vicibus, & novissime editam 29. Januarii, 1707. ad interrogationem Reverendissimi Ordinarii Frisingensis, quae in forma authentica exhibita ita sonat.

Frisingensis.

97. Cum occasione transitus, aut stationis hybernae in Diocesi Frisingensi praetendant Capellani Exercituum, eorum militibus Sacramenta administrare in locis, ubi permanent absque licentia Parochi, ac illorum Matrimonii assistere absque praevio Denuntiationibus, & contra dispositionem S. Concilii Tridentini jam recepti in dicta Diocesi. Episcopus ad occurrendum malis exinde provenientibus, & polygamiis jam detectis, supplicat sibi subministrari remedium, ac declarari, an praedicti Capellani id peragere possint.

Die 29. Januarii 1707. S. Congregatio Emmerorum. S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum censuit, dandum esse Decretum aliàs hac de re editum, & signanter sub die 6. Martii 1694. in dubiis Capellanorum Exercitus tenoris sequentis, videlicet primò. An Capellani cujuscunque Exercitus sive Regulares, sive Saeculares Catholici possint administrare militibus in Praefidiis degentibus Sacramenta Penitentiae, Eucharistiae, & extreme Unctionis sine speciali facultate Sedis Apostolicae vel licentiâ & approbatione Ordinarii, in cujus Diocesi extare contigerit? Secundo. An assistere Matrimonii militum cujuscunque Nationis degentium in Praefidiis cum militibus feminis sine dicta facultate Apostolica, & praecedenti probatione liberi status, ejusque recognitione coram Ordinario loci, & licentiâ Parochi, sub cujus Parochia manent? Tertio. An idem cum militibus degentibus in Castris, & stationibus hybernis vel aliorum? Quarto. An idem cum militibus in actuali expeditione positus? Quintò. An idem cum militibus nubere volentibus cum feminis non militaribus sed Italici originarii loci seu Diocesis in qua reperitur? S. Congregatio &c. ad primum, secundum, tertium, quartum & quintum respondet negativè.

B. Gardin. Panciaticus Praef.

(L. S.)

gratis etiam quoad scripturam.

V. Petra Secret.

98. Infertur I. Quòd in causa controversiae aut dubit, an Capellani Castrenses valde assistere valeant, vel valde adfiterentur Matrimonio militum, tam Parochus, quam Ordinarius indagare possint ac debeant, & videre, an & qualem habeant facultatem ad licentiam à Sede Apostolica, vel ab Ordinario concessam, & juxta tenorem illius judicare.

99. Infertur II. Quòd, etsi Capellanus Castrensis habeat licentiam ab Ordinario unius Diocesis, vi hujus non possit assistere Matrimonio suorum militum, si in aliena Diocesi illos extare contigerit; prout expressè patet ex Declaratione, vi cujus Capellanus Castrensis ad valde assistendum Matrimonio habere debet vel facultatem Apostolicam, vel licentiam & approbationem Ordinarii, in cujus Diocesi extare contigerit.

100. Infertur III. Sublatam esse illam controversiam & differentiam, quid de Jure in Castris, & quid in Praefidiis seu Quarteris valeant; quia juxta allegatam Declarationem nullibi quidquam valet, nisi quantum & qualiter Papa vel Ordinarius concedunt.

101. Infertur IV. Quòd si Capellani Castrenses ab Ordinario unius vel alterius Diocesis licentiam habeant, Exercituum autem ad aliam Diocesium venire contigerit, ab Ordinario talis Diocesis licentiam petere, vel ab assistentia Matrimoniali abstinere, eamque Parocho loci relinquere debeant, sive dein in Praefidiis, sive in Castris extant milites.

102. Quæritur VI. Quot, & quales ad valorem Matrimonii requiruntur testes? Resp. I. Certum est, quòd praeter assistentiam proprii Parochi, aut delegati ab eo, vel Ordinarii, ad valorem cujuscunque Matrimonii etiam vagorum, duo vel tres requiruntur testes. Omnes textu claro Concilii Tridentini cit. Sess. 24. de Reform. Matrim. cap. 1. per textum supra num. 54. allegatum.

103. Resp. II. Sufficiunt autem ad hoc quicumque testes, dummodo rationis sint capaces, & ea quae de Jure nature requiruntur, habeant; adeoque habiles ad Reiffenshuel Jus Can. Tom. IV.

hoc testes existunt etiam impuberes, consanguinei, domestici, Religiosi, feminae, excommunicati, infames, infideles, haeretici, & alii aliàs de Jure positivo ad testimonium ferendum inhabiles. Sanchez lib. 3. Disp. 41. num. 5. Barboza de Offic. & potest. Episc. Allegat. 32. nu. 138. Palao de Sponal. Disp. 2. punct. 13. §. 13. n. 3. Gutierrez pag. 44. Layman lib. 5. tr. 10. punc. 2. cap. 4. num. 6. Bolco cit. scil. 9. Concl. 15. cum communi aliorum, contra paucos alios. Ratio est; quia Concilium Tridentinum loc. cit. duos, vel tres testes simpliciter, & sine ullius peculiaris qualitates mentione ad valorem Matrimonii requirit; ergo sufficiunt ea, quae de Jure nature ad valde requiruntur; praesertim cum Decretum Concilii Tridentini, quatenus ad valorem Matrimonii requirit testes, sit correctorium Juris communis (utpote de quo Matrimonia clandestina valida erant per dicta n. 53. ergo non est extendendum, sed quantum proprietates patitur, restringendum, juxta dicta Lib. I. Tit. II. n. 4. 1.

Accedit, quòd testes aliàs de Jure positivo minus idonei fidem faciunt rei gestae, quando minus habiles cum habili, & omni exceptione majori concurrunt, ut tradit & probat Malcardus Concl. 365. num. 13. prout in Matrimonio contingit, utpote ubi semper etiam Parochus, testis utique omni exceptione major, adest. Item habiles habentur in causis favorabilibus arg. c. In fidei. 5. de Haeretic. in 6. inter causas autem favorabiles etiam Matrimonium numeratur c. fin. de Sent. & re judicat. & c. Decreta. 29. de Appellat.

Obijcies c. 1. de Conjug. & affin. ubi in causa Matrimoniali requiruntur testes omni exceptione majores & c. Super eo. 22. de Testibus & attestat. ubi Mater non agnoscebatur pro teste habili pro Matrimonio alterius contracto cum filia: ergo. Resp. hoc c. 1. nihil probare contra Conclusionem; quia loquitur de Testibus ad dissolvendum Matrimonium jam contractum, ad quod utique requiruntur testes omni exceptione majores. Ad c. Super eo respondetur. Mater ille idem ex speciali ratione fuisse rejectam; cum enim (ut ibidem narratur) Sponsus filiae suae esset divitiis, G nobili-

nobilitate, parentis; & honore superior. & propterea Mater liberent vidisset Matrimonium hujus cum filia, hoc ipso specialiter suspectam se reddidit; unde cit. c. alia mulier contestis pro inhabili rejecta non est; quamvis aliam mulier non sit omni exceptione major, can. Mulier, cau. 33. q. 5. & c. Forus. 10. in fine de V. S.

106 Queritur VII. Qualis Præsentia Parochi, & Testium requiratur & sufficiat? præsertim an sufficiat etiam coacta, & fraude obventa? item an sufficiat casualis, successiva, vel requiratur requisita & simultanea? R. I. Ad valorem Matrimonii requiruntur Parochi & Testium præsentia moralis & humana, sive talis ut probè intelligant, sponso de præsentia contrahere Matrimonium. Caret controversia. Ratio patet, quia Concilium Tridentinum loc. cit. idèd requirit præsentiam Parochi & Testium, ut Ecclesie de Matrimonio contracto testimonium ferre valeant; quod facere certè non possunt, nisi taliter præsentis sint, ut bene intelligant, quid agatur, ergo. Hinc utque invalidum foret Matrimonium contractum præsentia Parochi aut teste dormiente, ebrio, vel aliàs ita distracto, ut non attenderet nec perceperit, quid actum sit.

107 Resp. II. Insuper requiruntur ad valorem Matrimonii simultanea præsentia tam Parochi, quam testium; nec sufficit successiva, id est, debent tam Parochus quam testes simul adesse præsentis, quando contrahunt sponsi, nec sufficit, si modò coram Parocho, modò coram testibus contrahant, Sanchez lib. 3. Disp. 41. n. 3. dicens, esse certum. Veracrux. n. Append. ad Specul. dub. 6. Concl. 4. Bosco loc. cit. n. 596. Perez de Matrim. Disp. 50. sect. 9. n. 3. cum communi. arg. cit. Concil. Trident. ubi per copulativam dictionem, Et præsentia Parochi, & testibus simultanea eorum præsentia aperte significatur. Ratio est, quia debent ita esse præsentis, ut de uno eodemque contracto Matrimoniali testari valeant, quod facere nequeunt, nisi simul præsentis existant.

108 Resp. III. Sufficit tamen ad valorem Matrimonii præsentia moralis & simultanea Parochi & testium præsentia: etiam si dolosè illuc adducti sint, vel violentè, & coacti etiam cum protestatione & contradictione ibidem existant, aut ad eos dolosè veniant ipsi contrahentes; dummodo tam Parochus quam testes formaliter fuerint adhibiti. Sanchez lib. 3. Disp. 39. n. 9. Ledesma de Matrim. q. 45. a. 5. punc. 13. dub. 2. Barbosa de Offic. & potest. Parochi. cap. 21. n. 50. Perez Disp. 4. sect. 10. n. 5. Palao de Spons. Disp. 2. pun. 13. §. 8. n. 11. Pirhing. h. t. n. 23. Diana part. 10. tract. 13. Resolut. 16. Fagnanus in c. Quod nobis. h. t. n. 40. Pontius lib. 5. cap. 21. n. 5. Bosco loc. cit. Concl. 14. cum communi. & hodie certa aliorum. Ratio Conclusionis est; quia Concilium Tridentinum sæpè citatum plus non requirit, quam ut Matrimonium contrahatur præsentia Parochi, & duobus aut tribus testibus, quod reverè fit, si hi etiam dolo inducunt, aut coacti & invitati, aut etiam casu sint præsentis, arg. L. Coram 20. ff. de V. S. ubi clare habetur, quòd coram aliquo quid fieri dicatur, esse eo invito fiat: ibi: Scire autem, non etiam velle is debet, & Glossa in Extravag. Execrabilis. Joann. XXII. de Præbend. §. Coram. Accedit, quòd etiam per talem præsentiam satisfiat fini Tridentini; cum taliter quoque præsentis testes testimonium de contracto Matrimonio ferre, consequenter impedire valeant, ne flante hoc, cum alio contrahatur, arg. cit. l. Coram. ff. de V. S. & L. Ad fidem. 11. ff. de Testibus. ibi: Ad fidem rei gesta faciendam etiam non rogatus testis intelligitur. Confirmatur pluribus Declarationibus Cardinalium, de quibus, ex Salzedo testatur Sanchez loc. cit. n. 9. Fagnanus in c. Quæsitum. de Penitent. & Remiss. num. 7. dicens S. Congregationem declarasse, validum esse Matrimo-

nium, quod Parocho invito, & per vim adhibito aures etiam obdurante contractum fuit. Duae etiam refert Pontius lib. 5. cap. 21. num. 5. quarum prima apud Farinacium pagin. 268. sic sonat: Dummodo Parochus sit præsentis, & intelligat id, quod agitur, licet dissentiat & contradicat: adhibitus verò Parochus intelligitur, etiam si ex alia causa vocatus sit, dummodo sit adhibitus ad illum effectum. Altera ita sonat: An verò si invitatus & compulsus ad sit Parochus, etiam contrahatur Matrimonium, procedente supra dicta prohibitione Ordinarii tale Matrimonium subsistat? Congregatio respondit, subsistere.

Dicitur autem notanter in Conclusionibus, dummodo tam testes, quam Parochus formaliter fuerint adhibiti, id est, requisiti; adhiberi namque ad aliquid in Jure quis dicitur, qui ad id requiritur, seu rogatur, arg. l. Hæredes. §. In Testamento ff. Qui Testamenta facere possunt; quamvis enim DD. conveniant, validum esse Matrimonium, etsi Parochus & testes dolosè adducti, aut vi detenti præsentis sint, dummodo ante contractum Matrimoniale requirantur, ut modò adesse, & testes esse velent Matrimonium statim contrahendo. Tamen disconveniant in hoc, an ad valorem requiratur, ut Parochus & testes etiam requirantur, seu rogentur, si que formaliter adhibeantur? Sanchez siquidem loc. cit. disp. 41. n. 7. Bosco loc. cit. num. 598. Gobath r. 9. casu 18. n. 292. Barbosa de Offic. & potest. Parochi, n. 50. & plures alii negant.

109 Contra Pontius loc. cit. n. 4. Fagnanus loc. cit. 110 num. 54. Gonzalez ad Reg. 8. Cancell. Glossa 48. n. 32. & seq. Bonacina, & alii firmiter tenent, ad valorem Matrimonii omnino requiri, ut testes & Parochus formaliter adhibeantur, seu, quod idem est, requirantur & rogentur. Ratio est; quia, ut ait Gonzalez loc. cit. num. 32. quando præsentia alicujus requiritur pro forma, & substantia alicujus actus, non sufficit, quòd quid casualiter, & ad eum non requisitus, adsit; cum, qui casualiter adest, adesse non censetur, arg. L. Quæsitum. 78. §. fin. de Legat. 3. Hinc testis repentinè dictum non attenditur; quia non præsumitur informatus, can. qui ambulat. cau. 5. q. 5. semper enim attenditur, quòd principaliter agitur, non quòd casualiter & incidentaliter sit, l. Si quis nec causam, ff. Si certum petatur, & ibi late Jason. à num. 3. usque ad num. 23.

Confirmant doctrinam suam ex Declarationibus Cardinalium ex Farinacio, quas allegat Pontius loc. cit. quarum una sic sonat: Parochus præsentis Matrimonio debet esse, ut appareat, à contrahentibus ea de causa adhibitus fuisse. Altera sequentis est tenoris: An sit Matrimonium, si duo contrahant per verba de presenti, proprio Parocho præsentia, & aliis requisitis non omisit, cui contractus Parochus formaliter adhibitus non fuit, sed dum forte conviviis, vel confabulationis, vel aliud tractandi causâ adellectis audit hujusmodi contractum geri, & postea altere contrahentium velit ab hujusmodi contractu ratione defectus resilire, S. Congregatio respondit, posse, nisi alia intervenerint, quæ Parochum à contrahentibus adhibitu fuisse arguant, qui diceretur adhibitus, ut supra, quamvis ex alia causa fuisse vocatus, dummodo sit adhibitus ad illum actum.

Quæ Declarationes, si authenticè exhiberentur, sententiam horum Doctorum, utique certam redderent. Doctores tamen Adversarii n. 109. citati de iisdem dubitare volunt præsertim; quia Concilium Tridentinum nullam mentionem facit, quòd Parochus & Testes debeant esse rogati, aut requisiti, seu formaliter adhibiti, sed simpliciter, quòd sint præsentis. Verum, quia ex hoc solo capite Declarationes rejicere, aut suspensas habere, quòd Declarationes non

non afferantur in authentica forma, vix abest ab irreverentia & temeritate, si apud probatum Authorem & fidelem Collectorem reperitur (qualis utique est Farinacius, & Fagnanus) prout ex Fagnano in c. Quoniam. de Consi. num. 59. diximus in Proœmio nu. 128. horum sententia improbanda non videtur.

112 Illud tamen notandum, quòd etiam juxta DD. num. 110. citatos, præsertim Pontium loc. cit. Matrimonium coram Parocho aut testibus prius vel ex alia causa, vel omnino etiam non rogatis, nec requisitis, sed casualiter tantum, aut ex alia causa præsentibus valeat, dummodo contrahentes tunc saltem, quando contrahere volunt, & antequam contrahant, eos de intentione contrahendi moneant, & ut testes Matrimonii statim contrahendi esse velint, paucis requirant, & rogent; quod in praxi facillimè contingere, si que evenire potest; etiam illos, qui casu, vel alià v. g. convivii aut confabulationis causâ adiunt, sufficienter esse præsentis pro valore Matrimonii, dummodo nempe ante actuale contractum adhuc requirantur: quod ipsum etiam ultima verba Declarationis Cardinalium indicare videntur; ibi: Qui diceretur adhibitus, quamvis ex alia causa esset vocatus, dummodo sit adhibitus ad illum actum.

113 Resp. IV. Etiam si Matrimonium Parocho coactè, aut casualiter præsentia, aut dolosè adducto vel inducitur valeant, tamen ordinariè illicitum est, & quidem mortaliter, Sanchez lib. 3. Disp. 39. n. 12. Bosco loc. cit. Concl. 14. cum communi. Ratio est: tum injuria quam inferunt Parocho: tum contemptus Ecclesie, contra cuius prohibitionem agunt, præsertim, quòd tales ordinariè etiam sine Denuntiationibus (quæ juxta dicta n. 3. graviter obligant) contrahant. Putat tamen Sanchez, quòd, si soli testes & non Parochus dolo ad interessendum inducantur, aut vi detineantur, non nisi veniale sit.

114 Dicitur autem ordinariè; quia si gravis causa & necessitas ad contrahendum urget, & Parochus vel testes assitere abique justa causa recusarent, possent astu aliquo, & æquivocatione, sine mendacio tamen induci ad interessendum contractui Matrimoniali. Bosco loc. cit. n. 589. Dicastillo Disp. 3. n. 160. Laymann lib. 5. r. 10. p. 2. cap. 4. n. 6. Coninck Disp. 27. dub. 4. in fine, & alii. Ratio est; quia Leges humane in gravi necessitate non ligant: Nam quòd non est licitum in Legge, necessitas facit licitum, c. 4. de R. J.

115 Queritur VIII. quæ sint pœnæ contrahentium & assistentium Matrimonio, ob defectum præsentia proprii Parochi & testium clandestinè? Resp. I. Quando contrahitur Matrimonium sine præsentia proprii Parochi & duorum testium, tunc præter nullitatem Matrimonii tam Parochus & testes, quam etiam ipsi contrahentes gravi pœnæ, arbitrio Ordinarii imponendæ, subjacent, ita expressè Concilium Tridentinum Sess. 24. de R. form. Matrim. cap. 1. ibi: Insuper Parochum vel alium Sacerdotem, qui cum minori testium numero, & testes, qui sine Parocho, vel Sacerdote hujusmodi contractui interfuerint, nec non ipsos contrahentes graviter arbitrio Ordinarii puniri præcipit.

Resp. II. Si quis Parochus, vel alius Sacerdos, sive Regularis, sive secularis sit; etiam si ibi ex privilegio, vel immemorabili consuetudine licere contendat, alterius Parochie Sponsos sine illorum Parochi præsentia, Matrimonio conjungere, aut benedicere ausus fuerit: ipso Jure tandem suspensus maneat, quoad ab Ordinario ejus Parochi, qui Matrimonio interesse debebat, seu à quo benedictio suscipienda erat, abjolvatur. Sunt formalia Concilii Trident. loc. cit. quibus, cum sint clara, nihil addendum videtur.

Volunt aliqui Parochum proprium sine debito Rejensuel Jus Can. Tom. IV.

numero testium assistentem, triennio esse suspendendum, c. fin. §. fin. h. t. Sanchez tamen Disp. 48. num. 4. Pontius lib. 5. cap. 37. num. 12. Perez Disp. 42. sect. 4. n. 3. id negant, & merito; quia c. fin. §. fin. b. r. loquitur de Parocho assistente Matrimonio sine Denuntiationibus, & non de nostro casu, ut legenti pateat.

S. III.

De Præsentia Parochi & Testium in locis ubi Concilium Tridentinum non est promulgatum, vel non receptum: ubi etiam de Matrimonio Hæreticorum inter se, & Matrimonio Catholicorum locis hæreticis non habentium copiam Parochi.

S U M M A R I U M.

- 116 Concilium Tridentinum alicubi non est promulgatum, alicubi non receptum.
- 117 Præsentia Parochi & testium non requiruntur in locis, ubi Concilium Tridentinum non est promulgatum?
- 118 Requiritur, ut etiam in Parochia si promulgatum; & quando præsumatur ibidem promulgatum?
- 119 Incole loci non promulgati, vel non recepti Concilii Tridentini validè.
- 120 Sed non licitè contrahunt Matrimonium sine præsentia Parochi & testium.
- 121 Idem dic de eo, qui è loco recepti Tridentini veniens cum incolis illius loci contrahit.
- 122 Validè etiam contrahunt sine Parocho & testibus, si ambo è loco promulgati ad locum non recepti Concilii veniant, animo ibidem verum, vel quasi domicilium figendi.
- 123 Vel saltem alio sine quam præcisè contrahendi ibidem Matrimonium. Et num. seq.
- 124 Ratione contractus sortitur quis Forum.
- 125 Invalidè verò contrahunt, qui solo sine illic clandestinè contrahendi, & iterum brevi revertendi illic veniunt. Et num. seq.
- 126 Quia in fraudem Legis, & contra Legem agere equiparantur.
- 128 Secus est, si animum contrahendi ibidem domicilium habent.
- 129 Aut vagi sint.
- 130 E loco non recepti, ad locum recepti Concilii Tridentini venientes non possunt sine Parocho & testibus contrahere.
- 131 Valent quoque sine his Matrimonia Catholicorum in locis hæreticis, v. l. ubi Concilium non est promulgatum.
- 132 Vel nullus adest, nec tunc adiri potest Ordinarius aut Parochus: afferuntur Declarationes Cardinalium.
- 133 Ratio hujus quæ sit? Et num. seq. Necessitas aut impossibilitas non excusat à Legge irruente. Ibid.
- 135 In locis hæreticis promulgati Concilii Tridentini, ubi Parochus haberi non potest, ad valorem nihilominus requiruntur duo testes.
- 136 Ac etiam Parochus si haberi potest.
- 137 Doctrina præctica de valore Matrimoni in Terris Infidelium, Saxonie, Angliæ, Hollandiæ, Rutiæ, Avugustæ, contracti à Catholicis, usque ad num. 140.
- 140 Matrimonia hæreticorum in locis promulgati Concilii sine Præsentia Parochi & testium contracta sunt nulla.
- 141 Nova hujus Declaratio Cardinalium afferuntur.

- 142 *Matrimonia hereticorum cum impedimento Ecclesiastico dirimente quocumque contracta sunt nulla.*
- 143 *Heretici tenentur ad Leges Ecclesie.*
- 144 *Consuetudo eorum contra Leges Ecclesie est irrationabilis & invalida. Et num. seq.*
- 146 *Respondetur ad Auctoritatem Doctorum pro valore Matrimonii hereticorum scriptentium.*
- 147 *Matrimonia hereticorum cum impedimento dirimente contracta sunt invalida, ubi unque contrahantur.*
- 148 *De Matrimoniis hereticorum Auguste, Ratisbonae, in Anglia, Saxonia, Suevia, Prussia, Hollandia contractis. Et duobus num. seqq.*
- 151 *An Matrimonia hereticorum sint invalida ex eo, quod non sint Sacramenta, vel dissolubilitate contrahantur? Remissive.*

116 **S**upponitur primo, Concilium Tridentinum in aliquibus locis omnino non esse promulgatum, alicubi vero esse quidem promulgatum, sed in puncto clandestini Matrimonii non esse receptum: Promulgatum non esse, plures asserunt in Anglia, Scotia, Suecia, Saxonia, Prussia &c. Receptum vero in puncto clandestini Matrimonii non esse, etsi promulgatum sit in Gallia & aliquibus partibus Poloniae &c. Verum hoc, quia facti est, ulterius non deducimus, sed in casu emergenti cuius iudici examinandum & indagandum relinquimus, an in loco, de quo est casus, Concilium Tridentinum promulgatum sit, nec ne. Hoc itaque supposito ad Quaestiones Juris procedendum.

117 **Q**ueritur I. An praesentia Parochi & testium necessaria sit ad valorem Matrimonii, ubi Concilium Tridentinum vel non est promulgatum, vel in puncto clandestinitatis non receptum? Resp. I. Validum esse Matrimonium sine praesentia Parochi & testium contractum in locis, ubi Concilium Tridentinum promulgatum non est. Ita unanimes ac certa. Ratio est; quia quamvis alias ad obligationem Legis non requiratur, ut ubique promulgetur, sed sufficiat, si Romae in locis consuetis promulgetur per dicta Lib. I. Tit. II. de Constit. tamen in hac materia aliter dicendum est, prout patet ex ipso Concilio Tridentino Sess. 24. de Reform. Matrim. cap. 1. expressè disponente, Decretum suum in aliquo loco seu Parochia non tenere, nisi ibidem fuerit promulgatum, ubi: *Decernit insuper, ut huiusmodi Decretum in unaquaque Parochia suam robur post trigesima dies habere in scriptis, à die prima publicationis in eadem Parochia factae, numerandos. Ergo à sensu contrario, & quia exceptio firmat Regulam in casibus non exceptis, dictam Decretum in locis & Parochiis, ubi promulgatum non est, non obligat. Accedit Declaratio Cardinalium, quam ex Zyppaeo refert Bosco part. 5. Disp. 11. sect. 9. Concl. 5. ubi: *Ubi Decretum Concilii Tridentini Sess. 24. c. 1. de Reform. Matrim. non est publicatum, valere Matrimonia contracta obsequio observatione formae à Concilio praescriptae.**

118 **I**nfert Fagnanus in c. Quodam Praedecessore. de Schismaticis n. 143. Barbosa ad Concil. Trident. loc. cit. num. 169. ad hoc, ut dictum Decretum obliget in aliqua Parochia, non sufficere, quod in Dioecesi sit promulgatum, sed necessarium requiri, ut etiam in ipsa Parochia promulgatum habeatur; prout clare desumitur ex ipso textu num. praeced. allegato. Et expressè declaravit S. Congregatio testis Fagnano loc. cit. quae tamen Declaratio ulterius addidit, praesumi publicationem in aliqua Parochia esse factam, ubi Decretum illud aliquo jam tempore fuit observatum, quam Declarationem etiam asserit Bosco loc. cit. illis verbis: *S. Congregatio censuit, publicationem praesumi, ubi id Decretum fuerit*

aliquo tempore in Parochia tanquam Decretum à Concilio observatum.

Resp. II. In locis & Provinciis, ubi Concilium Tridentinum promulgatum quidem, sed receptum non est quoad dispositionem de Matrimonio clandestino, incolae illius loci valitè contrahunt Matrimonium abique praesentia Parochi & testium Communis & certa. Quamvis enim ad intrinsecam Legis constitutionem & obligationem non requiratur acceptatio populi, tamen si populus in non acceptatione, & usu contrario per decennium saltem pergit, cessat obligare Lex, licet primi Legem sine iusta causa non acceptantes, & non observantes perierint, prout amplius diximus Lib. I. Tit. II. de Constit. §. VI. de Acceptatione Legum, & Tit. IV. de Consuetud. §. 4.

Dicitur autem notanter, *validè*; quia licitè non agunt, sed peccant, clandestinum Matrimonium sine praesentia Parochi & testium contrahentes; quamvis enim non peccent contra Concilium Tridentinum, utpote non receptum, consequenter post decennium, non amplius obligant per dicta n. praeced. peccant tamen contra Jus commune iuxta dicta n. 52. licet non irritentur Matrimonia clandestina per dicta n. 53. Arg. c. fin. h. t.

119 **Q**ueritur II. An, & quando Matrimonium clandestinum sine praesentia Parochi & testium valitè contrahantur illi, qui è loco promulgati Concilii Tridentini se conferunt ad locum, ubi promulgatum, aut receptum non est? Resp. I. Quando quis è loco promulgati & recepti Concilii se conferat ad locum, ubi promulgatum aut receptum non est, ibique cum incolae illius loci Matrimonium contrahit, validum est sine praesentia Parochi & testium. Caret controversia. Ratio est; quia, cum contractus Matrimonialis individuus sit, & claudicare non possit, incola vero loci illius sine praesentia Parochi & testium valitè contrahat, necessario validum quoque erit Matrimonium contrahentis cum eodem.

120 **R**esp. II. Si ambo Sponsi è loco recepti Concilii se conferant ad locum non recepti, aut non promulgati Concilii, animò verum, vel quasi domicilium ibi figendis valitè ibidem contrahere possunt Matrimonium sine praesentia Parochi & testium. Rursus communis ac certa, ut videre est apud Sanchez lib. 3. Disp. 18. n. 27. Ratio est; quia tunc sunt incolae & Parochiani illius loci, consequenter non amplius stringuntur legibus prioris domicilii jam derelicti.

121 **R**esp. III. Qui alio sine quam contrahendi Matrimonium, v. g. negotiationis, aut peregrinationis causa in locum non recepti Concilii Tridentini se conferunt, aut illic conveniunt, valitè ibidem Matrimonium contrahunt sine praesentia Parochi & testium, etiam si animum non habeant figendi ibidem verum, vel quasi domicilium. Sanchez loc. cit. n. 28. Pontius lib. 5. cap. 9. n. 2. Ledesma de Matrim. 9. 45. a. 5. punc. 3. dub. fin. concl. 3. Bosco Disp. 11. sect. 9. Concl. 6. cum communis aliorum. Ratio est: *Tum quia peregrini non obligantur Legibus & praecipis Ecclesiae, etiam in sua patria vigentibus, si promulgata aut recepta non sunt in loco, ubi de facto ut peregrini & advenae existant, aut transeunt, sed possunt se accommodare consuetudinibus dicti peregrinationis loci, prout cum communi aliorum docuimus in Theologia nostra Morali Tr. 2. dist. 3. q. 30. n. 30. arg. can. Que contra 2. dist. 8. can. Illa 11. dist. 11. & can. Quisquis 1. dist. 41.*

122 **T**um & quidem praecipue, quia quoad solemnitatem adhibendam in contrahendis solè inspicuntur Leges & consuetudines loci, in quo contractus celebratur, ita ut secundum Leges & consuetudinem loci pro valore, aut invaliditate contractus ibidem celebrati iudicandum sit, prout habet communissima & ferè unanimes Doctorum, signanter Bosco

Bosco loc. cit. nu. 192. Sanchez loc. cit. n. 10. Pontius loc. cit. Abbas in c. 1. de Sponsal. Ancharanus in c. fin. de Constit. ed quod ratione contractus quivis etiam peregrinus fornicari Forum, arg. c. fin. de Foro competent. c. Romana eod. in C. & l. Si fundus 6. ff. de Evict. ubi: *Si fundus venierit, ex consuetudine ejus Regionis, in qua negotium gestum est, pro evitacione cavere oportet, ergo etiam Matrimonium utpote verus contractus, quem peregrinus alicubi celebrat, juxta consuetudinem illius loci iudicari debet.*

Dicitur autem notanter, *si alio, quam Matrimonium contrahendi sine*, quia quamvis Conclusio num. 123. posita quasi omni carea controversia, si alio, quam contrahendi sine ad praefata loca venire contingeret, tamen magna hodie controversia est in casis, quo ob finem contrahendi aliqui illuc veniant. Ad quam

125 **R**esp. IV. Quamvis spectando principia Juris & rationis probabilissimum sit, eos, qui solo sine contrahendi Matrimonium, consequenter in fraudem Legis è loco recepti Concilii Tridentini in locum non recepti, vel non promulgati v. g. è Germania vel Italia in Galliam, vel ex Bavaria in Saxoniā se conferunt, animò ibidem nec verum, nec quasi domicilium figendi, sed tantum simpliciter Matrimonium contrahendi, eoque contracto brevi iterum revertendi ad suum domicilium, valitè ibidem contrahere Matrimonium; tamen probabilius est, illud hoc tempore invalidum esse.

126 **P**rima pars, quod valeat tale Matrimonium docetur à Sanchez lib. 3. Disp. 18. n. 29. Pontio lib. 5. cap. 9. n. 4. Coninck de Matrimonio, Disp. 27. n. 14. Averfa de Matrim. 6. 6. sect. 2. Diana & alii, ductis praecipue illo non inani fundamento, quod, si quid obesset, foret fraus & dolus, per Sara num. seq. citanda: atqui hic non obest, cum tales vel nullam, vel saltem non malam committant fraudem & dolam, sed utantur jure, vi cuius quivis potest ad alium locum etiam non recepti Concilii Tridentini se conferre, consequenter juxta legem & consuetudinem ibidem vigentes Matrimonium contrahere, cum contractus juxta has ubivis iudicentur, per dicta num. 124. Nullus enim videtur dolo facere, qui jure suo utitur, L. 55. de Reg. Jur.

127 **S**ecunda pars, quod hodie non amplius valet, docetur & solide probatur à Barbosa de Offic. & potest. Paroch. Ledesma de Matrim. 9. 45. a. 5. dub. ult. Concl. 1. & 3. eamque tenet Bosco Disp. 11. sect. 9. Concl. 6. Engel h. t. n. 20. Henric. in Summa lib. 11. de Matrim. cap. 3. numer. 8. Lugo Respons. Moral. lib. 1. dub. 36. Gobath tr. 9. casu 18. num. 481. Zyppaeus in consultat. Canon. lib. 4. tit. de Spons. & Matrim. Consultat. 6. & communis aliorum Recensorum post Breve Urbani VIII. statim citandi scriptentium. Ratio est; quia fraus & dolus alicui patrocinari non debent, c. Sedes. 15. & c. Ba timore 16. de Rescript. junctà l. Itaque. 12. §. 1. ff. de Furt. Accedant Declarationes Cardinalium, de quibus testatur Zyppaeus loc. cit. Lugo loc. cit. Bosco loc. cit. Engel loc. cit. Barbosa loc. cit. addentes, illas confirmatas per Breve ab Urbano VIII. editum 1627. 14. Augusti ad instantiam seu interrogationem Archiepiscopi Colonienfis, cum enim apud S. Congregationem inter alias duplex quaestio lequens proponeretur. Primum: *An retinentes domicilium in loco, in quo Concilium in hoc puncto est promulgatum, valitè possint contrahere, ubi non est promulgatum? Secundò: Si solo animò, absque Parocho & testibus, contrahendi se transferant, habitationem non mutant, & ad quaestis S. Congregatio responderet, Non esse legitimum Matrimonium inter sic contrahentes cum fraude. Summus Pontifex hanc responsonem laudavit, & approbavit illis verbis: *Resolutionem hujusmodi Reiffershucl Jus Can. Tom. IV.**

di Auctoritate Apostolica tenore praesentium approbamus, & laudamus; subjunctis deinde omnes clausulas salutare adhiberi solitas. Et quoniam de hoc Brevis praecedentes Declarationes confirmante, prudens dubitandi ratio non apparet, utpote de quo tot Clarissimi Authores testantur, & in specie Card. nalis de Lugo, dicens se accepisse exemplum ex Autographo illius Brevis, contraria m sententiam amplius docere à temeritate vix alienum foret.

128 **A**ccedit ratio; quia in fraudem legi's, & contra legem agere equiparantur, arg. l. Contra legem 20. & l. Seq. ff. de Legib. cum Concordantiis, unde l. Hoc modo 64. ff. de Condit. & demonst. statum habetur, ea, quae in fraudem legis sunt, ipso Jure rescinduntur; ed quod talis fraus perniciosa videatur Republicae communi bono, ob quod leges laesae sunt ibi: *Legem enim utilem Reipublicae adjuvandam interpretatione.*

129 **N**ec in contrarium facit, quod pro se cum sequacibus allegat Sanchez ex L. 55. ff. de Reg. Jur. quia non procedit, quando aperte constat, quod quis directà intentione fraudandi legem operetur, etsi incidentaliter alii respectu concurrant, prout cum aliis bene observat Barbosa loc. cit.

130 **D**icitur autem notanter in Conclusiones, animò ibidem nec verum, nec quasi domicilium figendi, quia si quis in loco non promulgati, aut non recepti Concilii Tridentini, verum, aut quasi domicilium figere ferò intendit, valitè ibidem Matrimonium contrahit, sine Parocho & testibus, etiam si ad hunc finem & effectum illic se conferat. Ratio est: tum quia hoc ipso, quod alicui incola & Parochianus fieri quis reverà intendat, & in effectu fiat, plene utitur jure suo, nec in fraudem legis agere dicitur, sicut ille, qui solo animò ibidem contrahendi Matrimonium, & postea statim iterum revertendi, ad locum non recepti Concilii se conferat. Tum quia fraus, si quae esset, re & effectu, quo quis efficitur verus incola & parochianus talis loci, tollitur. Hinc nec Declarationes Cardinalium, nec Breve Urbani VIII. de hoc casu loquantur; sicut nec de eodem, sed de illo solummodo casu quaestio fuit proposita; quid Juris, si NB. retinentes locum, domicilium, & habitationem non mutant ad locum non recepti Concilii Tridentini se conferunt; ergo casu, quo quis habitationem non retinet, sed mutat domicilium verum, vel quasi tale alibi eligit, non tangitur. Confirmatur Declarationibus Cardinalium ex Fagnano, & Cardinali de Luca supra numer. 90. allegatis; quae ut cum aliis num. 126. productis concordantur, alia via adesse non videtur, quam dicere, quod praesentia numero annotamus. Id ipsum etiam sentire videtur Cardinalis de Luca loc. cit. discurs. 26. num. 15. addens S. Congregationem plures declarasse, fraudem talem vel affectionem (utpote quae reverà dolus & fraus non est) non obitare valori Matrimonii.

131 **I**dem dic de vagis solà intentione contrahendi ad locum non promulgati Concilii Tridentini se conferentibus, dummodo prius domicilium reverà ac ferò dimiserint; tunc enim Declarationes Cardinalium, & Breve Urbani VIII. eos non afficiunt, utpote quae loquantur de retinentibus domicilium, quod bene notandum. Concordant etiam dicta numer. 88. & seqq.

132 **R**esp. V. Illi, qui è loco non promulgati, vel non recepti ad locum recepti Concilii Tridentini in puncto clandestinitatis, se conferunt, non possunt ibi valitè contrahere Matrimonium sine praesentia Parochi & testium, sive dein ibidem domicilium figant, sive tantum transeant. Haec est communis ac certa, carete controversia Patet ex dictis

dictis supra num. 124. ubi cum communi aliorum ostendimus, quemvis ratione contractus sortiri Forum, adeoque teneri ad solemnitatem illam, quam leges & consuetudines ibidem vigentes prescribunt, juxta quas solas etiam de valore aut invaliditate contractus imbi judicatur per Jura ibi allegata.

131 Queritur III. An valeant Matrimonia Catholicorum sine presentia Parochi & testium contracta in locis hereticis? Notandum prius, non esse hic questionem de Matrimonio, quod contrahunt Catholicum cum hereticis (de hoc enim jam diximus supra Tit. I. a n. 357.) sed de Matrimonio, quod Catholicum inter se contrahant in locis hereticis. Resp. I. Matrimonia Catholicorum sine presentia Parochi & testium contracta in locis hereticis illis, in quibus Concilium Tridentinum nunquam fuit promulgatum, sunt valida. Hæc est communis ac certa, patetque absque ulteriori probatione ex dictis supra a num. 117.

132 Resp. II. Pariter valent Matrimonia Catholicorum etiam in illis locis hereticis; ubi Concilium Tridentinum aliquando fuit promulgatum, sine presentia Parochi adhibitis tamen duobus testibus contracta, casu quo ob metum, vel potentiam hereticorum nullus adest Episcopus, vel Parochus, nec alius Sacerdos ab iis licentiam assistendi habens, neque datur ad eorum aliquem alibi existentem tutus accessus. Invalida verò sunt, si horum aliquis haberi potest. Bosco Diss. 11. sect. 9. Concl. 5. Zypæus in Jur. Pontif. L. 4. numero 16. Ardekin de Matr. cap. 8. §. 4. Sporer p. 1. cap. 1. sect. 1. num. 24. Diana p. 11. tr. 6. Resol. 1. Marchantius in Tribunal. tom. 3. p. 2. tr. 1. Tit. 7. quest. 10. Concl. 5. Herinx Diss. 5. q. 11. numer. 10. Pirhing h. t. num. 12. & hodie communis aliorum post Declarationes Cardinalium, statim allegandas scribentium. Probat Conclufio ex Declarationibus Cardinalium, quas citati Doctores adducunt, & Authenticas esse afferunt, datas ad Episcopum Tricarientem frequentis tenoris Anno 1605. 19. Januarii.

Congregatio Concilii perpenfis consultationibus Episcopi Tricariensis circa formulam Matrimoniorum, que in partibus Hollandiæ, Zelandiæ, Frisiæ contrahuntur, ita censuit.

Primò. Ubi Decretum ejusdem Concilii cap. 1. Sess. 24. de Reform. non est publicatum, valere Matrimonia contracta absque observatione formæ à Concilio prescriptæ.

Secundò. Publicationem presumi, ubi id Decretum fuerit aliquo tempore in Parochia tanquam Decretum Concilii observatum.

Tertiò. Hereticos quoque, ubi Decretum dicti cap. 1. est publicatum, teneri talem formam observare, & prætereà ipsorum etiam Matrimonia absque forma Concilii, quamvis coram Ministro heretico vel Magistratu loci contracta? nulla atque irrita esse.

Quartò. Ubi etiam constat, Decretum Concilii esse observatum, sed Parochialis Ecclesia utpote vacans proprio Parochio careat, & Cathedralis in illem Episcopo atque Capitulo, habentibus à Concilio facultatem alium Sacerdotem ad id delegandi, nullusque alius ibi sit, qui vices Parochi, vel Episcopi suppleat, Matrimonium valere absque presentia Parochi: servata tamen in eo, in quo potest, forma Concilii, nempe adhibitis saltem duobus testibus.

Quintò. Si extent quidem Parochus, & Episcopus, sed nullo constituto Vicario uterque metu hereticorum lateat, ita ut verè ignoretur, ubinam sit, vel eodem metu à Diocesi abijt, nec ad alterutrum sit tutus accessus, validum est Matrimonium contractum absque forma Concilii, adhibitis tamen, ut dictum, duobus testibus.

Quod verò attinet ad casum specialem in scrip-

tis ejusdem nuntii contentum, Congregatio ita duxit respondendum; cum secundum ea, que preponuntur, Matrimonium fuerit contractum in Parochia, in qua fuerat publicatum dictum Decretum, & extaret in Antverpiensi, cujus erat Parochia, Vicarius, qui juxta Concilii Decretum poterat providere, utique hujusmodi Matrimonium absque forma contractum, esse nullum. Huc usque S. Congregatio.

Similem, eamque recenter Anno 1676. editam Declarationem contra valorem Matrimonii contracti in loco heretico; ubi Concilium Tridentinum promulgatum fuit, & Parochus Catholicus haberi commodè potuisset; adducit Bruno Neuffer Diss. 182. q. 2. ad finem.

Rationem primæ partis, quòd Matrimonia in memoratis locis sint valida, aliqui desumunt tum ex impossibilitate; quia Nemo potest ad impossibile obligari c. nemo 6. de Reg. Jur. in 6. consequenter, cum in casu Conclusionis impossibile sit Catholicis habere Parochum Catholicum aut deputatum ab eo, non obligantur ad Legem Concilii Tridentini pro Matrimonii valore Parochum requirente. Tunc ex necessitate: Nam quòd non est licitum in lege, necessitas non facit licitum c. Quòd non. de Reg. Jur. Verùm hæc rationes Conclusionem efficaciter non probant; quamvis enim bene probent contra legem præcisè præcipientem, aut prohibentem ita; ut quis in casu impossibilitatis, vel gravis necessitatis eam obviare non teneatur, & transgrediendo non peccet; tamen non probant contra leges irritantes & præscribentes formam substantialem; qualis etiam est lex Concilii Tridentini irritum declarans Matrimonium in loco promulgati Concilii sine Parocho & testibus contractum; prout cum aliis solidè probat Sanchez lib. 3. Diss. 17. n. 4. indeque inferit, invalidum esse Matrimonium sine Parocho & testibus contractum; etiam illud contrahendi fuerit summa necessitas, & simul concurrerit impossibilitas habendi Parochum v. g. in articulo mortis ad legitimandam prolem &c. Et certè, si necessitas ac impossibilitas cassarent etiam legem irritantem, posset quis confanguineam in secundo gradus vel aliàs impedimento Jure Ecclesiastico dirimente affectam, sine ulla dispensatione ducere; casu quo aliam habere non posset, vel eam ducendi urgeret gravis necessitas, quod nemo dixerit.

Est ergo alia, & quidem illa ratio, videlicet, quia vel S. Congregatio virtute supra dictarum responsionum declaravit, per Episcopum; & secundum æquum & justum, hunc casum non comprehendit in Concilio Tridentino, utpote quod suo Decreto voluit principaliter obviare malis ex Matrimonio clandestino ordinariè venientibus, minime verò causare, quòd in plurimis integris Territoriis, Provinciis, ac Diocesebus Catholicis ex defectu Parochorum Matrimonio conjungi nunquam possent; sic enim in talibus locis brevi defeceret fides Catholica. Vel certè Summus Pontifex dictas Declarationes S. Congregationis confirmando censetur pro talibus locis hereticis, in quibus Parochus Catholicus non est, nec ad eum tutus datur accessus, paternè dispensare, quòd etiam sine presentia Parochi contrahere valeant.

Dicitur autem notanter in prima parte Conclusionis num. 132. posita, adhibitis tamen duobus testibus; quia hos etiam in præfatis locis requiri, expressè declarat S. Congregatio num. 132. ibi: Adhibitis saltem duobus testibus, neque in his, ut in Parochio dispensatum censetur; & merito, quia hæc facillè haberi possunt.

Alterà pars Conclusionis, videlicet, quòd Matrimonium sit nullum, si ibidem vel adijt Episcopus, aut Parochus, aut saltem tutus ad eum alibi existen-

existentem accessus, tenent DD. citati patetque ex adjecta Declaratione.

137 Et ex his Conclusionibus inferitur I. Validum esse Matrimonium, quod Catholicus v. g. Mercator, aut peregrinus contrahat in locis infidelium, in Regno Turcico v. g. quia ibidem Concilium Tridentinum nunquam fuit promulgatum. Idem est de Matrimonio Catholicorum contracto in Saecia, Saxonia, Prussia, Anglia, Scotia, Dania, Pomerania, & aliis partibus Septentrionalibus, quia in his locis Concilium Tridentinum fuit promulgatum, cum jam ante illud à vera fide defecerint, prout ex Carono in Apostolatu Missionariorum q. 9. & Veriviv art. 1. notat Bruno Neuffer Diss. 182. q. 2. n. 4. quam tamen doctrinam intellige cum limitatione.

138 Inferitur II. Matrimonia Catholicorum contracta in Hollandia, Zelandia, Frisia, & aliis confederatis Provinciis, tam Principi Territorii, quam S. Romanæ Ecclesiæ Rebellibus, invalida esse, casu quo vel Episcopum, vel Parochum Catholicum, vel alium Sacerdotem licentiam assistendi præditum ibidem habere, aut ad eum securè, ac tuto venire possunt, eò quòd memoratæ Provincie primùm defecerint, postquam ex mandato Philippi II. per Gubernatricem Belgii Margaritam Parmensem Decretum Tridentinum jam fuit promulgatum, teste Bruno Neuffer loc. cit. & Veriviv. Secus est, si Sacerdotem Catholicum imbi non habent, nec tutò ad eum venire valent.

139 Inferitur III. Matrimonia Catholicorum Augustæ, Ratisbonæ, ubi Concilium Tridentinum est promulgatum, ipsique Catholicis cum hereticis permixti libere vivant, Parochosque Catholicos vel ibidem habent, vel in vicinia facillè habere possunt, invalida esse, si absque presentia Parochi & testi-

um contrahant, quæ cuncta patent ex Declarationibus allegatis.

Queritur IV. An, & quando Matrimonia hereticorum sint invalida? Resp. I. De Matrimoniis hereticorum ob defectum veri Parochi Catholici ac testium clandestinis, eodem serè modo est discutendum, quo de Matrimonio Catholicorum habetibus discurremus. Videlicet primò, quòd si absque presentia Parochi & testium contrahantur in locis, ubi Concilium Tridentinum non fuit promulgatum; vel ubi promulgatum quidem est, Parochus tamen, aut Ordinarius Catholicus ibidem non invenitur, nec tutus ad eum accessus est, omnino valeant, nisi NB. aliud obstat. Secundò econtrà invalida sint, si contrahantur in locis promulgati Concilii, ubi vel Ordinarius & Parochus Catholicus adest, vel in vicinia facillè ac tutò haberi possit. Tota Conclusio patet ex allegatis Declarationibus Cardinalium, utpote quæ etiam de hereticis procedunt; prout bene observat Bosco loc. cit. num. 133. post Zypæum, Bruno Neuffer, & alii; patetque ex ipsis Declarationis verbis expressè sonantibus: Hereticos quoque ubi Decretum dicti cap. 1. est publicatum, teneri talem formam observare, & prætereà ipsorum etiam Matrimonia absque forma Concilii, quamvis coram Ministro heretico, vel Magistratu loci contracta, nulla atque irrita esse.

Confirmatur hæc secunda pars ex recentissima Declaratione Cardinalium, vi cujus nullum ac irritum declaratum fuit Matrimonium ex eo, quòd fuerit sine presentia Parochi, etli coram Magistratu sæculari hereticò contractum sit in loco, ubi Concilium erat promulgatum, & facillè haberi aut adiri potuisset Parochus Catholicus. Declaratio quam refert Bruno Neuffer cit. Diss. 182. q. 2. ad finem est sequentis Tenoris.

Ruremondensis Matrimonii.

Catholicus cum Heretica, quæ hæresin abjurare promiserat, Matrimonium coram Magistratu sæculari in loco ubi Concilium Tridentinum est receptum, & Parochus commodè haberi & adiri poterat, contraxit, & postea consummavit: Verùm quia mulier non solum ad hæresim abjurandam adduci non potuit, sed etiam alteri viro nupsit; Orator ad partes viventes sub obedientia S. Sedis se recepit & cum alia muliere contrahere desiderat: sed quoniam Ordinarius recusat permittere absque S. Congregationis declaratione, Orator supplicat decerni: An prædictum Matrimonium ab ipso cum dicta Heretica, modo ut præfertur, sit nullum?

Die II. Maij MDCLXXVI. S. Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum secundum ea, quæ proponuntur, censuit dictum Matrimonium fuisse nullum.

J. Cardinalis Columna Præf.

(L. S.)

Gratis etiam quoad Scripturam.

St. Archiepiscopus Brancaccius Episc. Viterbiensis.

Dicitur notanter in Conclusionem, nisi aliud obstat, etiam in locis non promulgati Concilii Matrimonium ex defectu assistentis Parochi clandestinum sit validum, erit tamen invalidum, si cum alio impedimento dirimente contractum fuit, uti statim dicitur.

142 Resp. II. Omnia Matrimonia hereticorum cum alio, quam clandestinitatis impedimento, etli vi solius Legis Ecclesiasticæ dirimente ubique tandem contracta, irrita sunt ac invalida. Hanc Conclusionem tenent ac tenere debent omnes, qui Conclusionem præcedentem num. 140. positam tenent; cum juxta dicta ibidem Matrimonia hære-

ticorum contra irritans Decretum Concilii Tridentini Sess. 24. de Reformatione Matr. cap. 1. contracta sint nulla, nulla quoque & irrita erunt contracta ab eis contra alias Leges Ecclesiasticas irritantes, v. g. cum consanguinea vel affine intra quartum gradum, aut raptà, vel cum impedimento Criminis; cum non sit major ratio, cur hereticorum Matrimonia contra unam Legem irritantem Ecclesiasticam sint irrita, & non sint irrita, quæ contrahuntur contra aliam similiter irritantem Legem Ecclesiasticam, arg. c. Translatio. 3. de Constit. & l. Si libertam. 28. C. de Nupt.

143 Ratio autem tam hujus, quam præcedentis Conclusionis quoad secundam partem, quod videlicet Matrimonia hæreticorum sine Præsentia Parochi, & universaliter contra quamcumque legem Ecclesiæ irritantem, seu cum impedimento dirimente contracta, sint nulla, est; quia hæretici per Baptismum Ecclesiam ingressi tenentur ad omnes leges Ecclesiasticas pro universali Ecclesia latas prout solent objectionibus amplius docuimus Lib. I. Tit. II. §. XII. a. numer. 274. ergo etiam ad leges irritantes Matrimonia cum impedimento dirimente contracta.

144 Nec dicas cum quibusdam Adversariis contra utramque Conclusionem, Leges Ecclesiasticas apud hæreticos consuetudine legitime præscriptas esse sublatas: cum enim contra legem Ecclesiasticam valeat consuetudo legitime præscripta, c. fin. de consuetud. hæretici autem consuetudinem jam legitime præscriptam utpote ultra centum annos durantem habeant contra leges Ecclesiasticas irritantes Matrimonia; consequens est, illos eisdem non amplius stringi. Nam contra est, quod consuetudines hæreticorum contra Leges Ecclesiasticas irrationabiles ac penitus irritæ, nulliusque valoris sint, juxta dicta Lib. I. Tit. IV. de Consuetud. §. 5. numer. 145. ubi vide. Hinc non obstant hæc hæreticorum consuetudine irritum declaratum est Matrimonium sine Parocho contractum juxta dicta numer. 141.

145 Confirmatur, quia si consuetudines hæreticorum contra Leges Ecclesiasticas valerent, sequeretur, eos nullis amplius obligari legibus; cum contra omnes induxerint consuetudinem, & non sit major ratio, cur consuetudo eorum valeat contra unam, & non contra aliam; atqui hoc est contra unanimitatem, simulque absurdum; nam ex eo sequeretur, frustraneas de facto esse cunctas Leges contra hæreticos factas, & contra totum Tit. VII. de Hæreticis in Lib. V. Decretalium.

146 Instabis, adesse tamen plures Doctores Classicos, ut Layman lib. 5. tit. 10. p. 2. cap. 4. numer. 7. Tanner Tom. 4. Disp. 8. q. 3. dub. 6. Dicassill de Matrino. Disp. 3. Dub. 10. Sporer p. 4. cap. 1. Sess. I. nu. 35. docentes valere cuncta hæreticorum Matrimonia sine præsentia Parochi Catholici contracta etiam in locis, ubi promulgatum est Concilium Tridentinum, & facile haberi potest Parochus.

Ad hanc instantiam respondetur, hos Doctores non esse audiendos, eò quod nullum solent afferre fundamentum. Nec enim pro eis solidè quid probat hæreticorum consuetudo, uti jam ostendimus: nec tacitus consensus Summi Pontificis scientis & tacentis, ac benignæ interpretatio, quòd Decretum Tridentinum ad hæreticos se non extendat, quia contra hoc expressissimè militat repetita Declarationes Cardinalium, & mens Pontificis aperte manifesta per dicta numer. 132. Plura contra hæc vide apud Gobath tr. 9. casu 18. d. num. 461.

Dices adesse quoque Declarationes Cardinalium dicentium, Matrimonia hæreticorum valere. Resp. Illas Declarationes loqui de Matrimoniis contractis in locis, ubi non est promulgatum Concilium Tridentinum, vel non est facilis accessus ad Parochum.

147 Dicitur etiam in Conclusionem n. 142. posita: ubi-cumque tandem contracta: quia quamvis Matrimonia cum impedimento clandestinitatis contracta in locis, ubi Tridentinum non est promulgatum, sint valida per dicta num. 140. eò quod Concilium Tridentinum ad valorem illius sui Decreti expressè requirit promulgationem in singulis Parochiis: Tamen valida non erunt hæreticorum Matrimonia in

loco non promulgati Concilii contracta cum alio quam clandestinitatis impedimento dirimente, quia leges Ecclesiasticæ alia impedimenta statuentes, talem promulgationem non requirunt, sed hoc ipso, quòd sint insertæ Juri communi sive veteri sive antiquo, solito modo, promulgato, obligant ubique etiam ubi particulariter promulgatæ non sunt per dicta Lib. I. Tit. II. de Constit. §. 5. Et certè si omnium Legum Ecclesiasticarum promulgatio deberet fieri etiam in locis hæreticis, vix ullis illi obligarentur legibus Ecclesiæ, utpote quæ apud eos nunquam promulgantur, imò frustra factæ essent, & adhuc fierent tot Leges contra hæreticos, utpote quos defectu promulgationis nulla obligaret.

Infertur proinde I. Omnia Matrimonia hæreticorum Augustæ, & Ratisbonæ contracta esse nulla ac invalida, quia ibidem Concilium Tridentinum est promulgatum, possuntque ibidem facile habere Ordinarium aut Parochum.

Infertur II. Matrimonia hæreticorum contracta in Anglia, Scotia, Saxonia, Suecia, Frisia, Dania, Pomerania esse valida, quia juxta dicta numer. 137. ibi nunquam fuit promulgatum Concilium Tridentinum.

Infertur III. Matrimonia hæreticorum contracta in Hollandia, aut ei unitis Provinciis esse valida, ibi, ubi non est, nec haberi potest Ordinarius aut Parochus Catholicus: factus, ubi haberi potest; quia in his Provinciis Concilium Tridentinum fuit promulgatum.

Queritur V. An invalida sint Matrimonia hæreticorum ex eo, quòd non sint Sacramentum, & dissolubilitate contrahantur? Resp. Hanc questionem ventilari infra.

TITULUS IV.

De Sponsa duorum.

SUMMARIUM.

- 1 a io continuationis.
- 2 Duos maritos aut uxores simul habere: Jure Divino, & humano illicitum, atque invalidum est.
- 3 Ut proin nec consuetudo, nec dispensatio Pontificia aliquid contra illud valeat.
- 4 Pena attentantium contrahere cum duabus.
- 5 Si quis Sponsalitia de futuro cum duabus contrahat, Sponsalia posteriora etiam juramento firmata invalida sunt.
- 6 Esti eisdem accesserit copula, casu quo secunda Sponsa consita fuit priorum Sponsalium.
- 7 Imò est ignara fuerit priorum Sponsalium.
- 8 Et grave patiatur damnus, prior verò Sponsa modicum aut nullum.
- 9 Solvitur obiectio.
- 10 Impedimentum publicæ honestatis quid?
- 11 Oritur ex Sponsalibus de futuro & de presentis seu Matrimonio rato.
- 12 De Jure antiquo ex omnibus etiam invalidis Sponsalibus oriebatur Impedimentum publicæ honestatis usque ad quartum gradum inclusivè.
- 13 Jure novo Tridentino ex Sponsalibus de futuro invalidis, non conjungit, bene tamen ex validis, sed non ultra primum gradum dirimit.
- 14 Impedimentum tamen honestatis publicæ in Matrimonio rato proveniens, procedit adhuc juxta Jure antiqui dispositionem.
- 15 Ex Sponsalibus de futuro oritur dictum impedimentum, est postea solvantur Sponsalia ex aliqua causa.

16 Vel mutuo consensu.

17 Probatur ex Declaratione Cardinalium.

18 Solvitur obiectio.

19 Ex Sponsalibus gravi metu injustè incusso initis non oritur Impedimentum publicæ honestatis.

1 C ontigit nonnunquam quòd quis cum duabus successivè, contrahat, hinc sequitur præsens Titulus statuens, quid Juris in hoc casu. Et quamvis præsentis Tituli capitula tantum loquantur de illis, qui cum duabus de presentis, seu ipsum Matrimonium contrahere attentant, tamen Canonice communitur hic etiam examinant casum, quo quis cum duabus Sponsalia de futuro contrahit. Quos imitantes nos quoque faciemus, similibus de impedimento publicæ honestatis trademus.

2 Queritur I. An, & quomodo illicitum ac invalidum sit Matrimonium cum duabus vel duobus, seu habere duas uxores, aut maritos. Resp. Jure humano, Canonico & Civili, ac etiam Divino illicitum invalidumque esse Matrimonium cum duabus aut duobus simul. Unanimis ac certa Catholicorum, & de Jure Canonico patet toto præsentis Tit. de Sponsa duorum, de Jure Civili habetur §. 6. Instit. de Nuptiis, ibi: Eadem duobus nuptia esse non potest: & infra: Duas uxores eodem tempore habere non licet, cum Concordantiis. De Jure Divino constat ex Matth. 19. estque definitum de Fide à Concilio Tridentino Sess. 24. can. 2. ibi: Si quis dixerit, licere Christianis plures habere uxores, & hoc nullà lege Divinà esse prohibuit, anathema sit.

3 Infertur proin cum unanimi Doctorum, nec consuetudine, nec dispensatione Pontificia fieri posse, quòd quis habeat duas uxores, aut alia qua duos maritos; quia contra Jus Divinum consuetudo nec quidquam valet, c. fin. de consuet. nec dispensatio Pontificia per dicta Lib. I. Tit. II. de Constit. §. 18. nu. 455.

Nec obstat, quòd in Lege veteri Patriarchis & Judæis plures uxores habere licitum & validum fuerit. Resp. enim cum c. Gaudemus 8. de Divortis, id Divinà dispensatione factum esse, quam concedere quamvis adhuc possit Deus, tamen de facto non concessit, sed potius Christus eam prius datam revocavit, Matth. 19.

4 Resp. II. Qui vivente uxore Matrimonium cum alia attentat, incurrit penam infamie L. 1. in fine. ff. De his, qui notantur infamia & L. 2. C. de Incestis nupt. ibi: Neminem, qui sub ditone sit Romani Imperii, binas uxores habere posse, vulgè patet; cum etiam in edito Prætoris hujusmodi viri infamia notati sint. Imò gladio & ultimo supplicio in Romano Imperio puniuntur, si secundum Matrimonium consummaverint, juxta ordinationem Caroli V. Art. 121.

5 Queritur II. Quid Juris? & cui adherere debeat, si quis cum duabus, aut quæ cum duobus Sponsalia de futuro contrahit, præsertim si cum Sponsa secunda fornicato, aut etiam imprægnato intervertit? Resp. I. Si quis, vel quæ cum duabus, aut duobus Sponsalia de futuro contrahit, nec copulam habuit cum secunda Sponsa; irrita & nulla sunt Sponsalia posteriora, etiam si juramento sint firmata; consequenter adherere tenetur priori Sponsæ, si hæc velit. Abbas in

c. Sicut. 22. de Sponsal. & Matrim. num. 8. & ibi Joan. Andreas num. 4. Anchoranus num. 3. Sanchez lib. 1. de Sponsal. Disp. 50. eòque teste unanimis & certa aliorum, arg. cit. c. Sicut de Sponsal. & c. Unico de Sponsal. in 6. Ratio est; quia, quòd uni jam promissum est, ac vi promissi Jure debetur, alteri promitti amplius non potest.

Nec obstat, quòd secunda Sponsalia quibus firmet juramento; quia, cum tale juramentum sit in præjudicium tertii, illicitum & vinculum iniquitatis est, ac propterea obligatorium non censetur, arg. c. Quanto. 18. de Jur. jur. can. Inter cætera, cau. 22. §. 4. cum Concordantiis. Nam non est obligatorium contra bonos mores præstitum juramentum, c. 58. de Reg. Jur. in 6.

6 Resp. II. Esti posterioribus Sponsalibus accedat copula, aut etiam imprægnatio, nulla sunt & irrita, si cum prima quoque Sponso aut Sponsa habita fuit copula, aut posterior Sponsus aut Sponsa concitus fuit, quòd Matrimonium ei promittens, prius jam cum alia contraxerit Sponsalia. Palao de Sponsal. Disp. 1. pun. 22. num. 5. Pontius de Sponsal. lib. 12. cap. 14. cum communis ac certa aliorum. Ratio primæ partis est; quia, si cum prima quoque Sponsa habita fuit copula, ejus utpote prioris vis majus est; tum per Jura numer. præcedent. allegata: tum per Regulam 54. Jur. in 6. Qui prior est tempore, potior est Jure.

Ratio secundæ partis est; quia, si ea pars, cum qua contracta sunt posteriora Sponsalia, concitæ fuit priorum Sponsalium, jam hoc ipso particeps fuit delicti iniquæ promissionis, ac nullitatis ejusdem; consequenter contra jus prioris Sponsæ aut Sponsi prætereire nihil potest; præsertim cum decepta dici non possit, arg. L. 1. §. 6. ff. de Edilit. edict.

7 Resp. III. Etiam in casu, quo posterioribus Sponsalibus accessit copula, & pars illa, cum qua posteriora Sponsalia fuere contracta, ignara fuerit priorum Sponsalium, consequenter verè decepta, valent Sponsalia priora, adhaerendumque est priori Sponso aut Sponsæ. Sanchez de Sponsal. Disp. 49. num. 5. Gutierrez de Matrim. cap. 27. nu. 7. in fine. Henriquez lib. 11. de Matrim. cap. 13. num. 3. & alii contra Palao loc. cit. num. 6. Pontium loc. cit. num. 4. arg. l. Non dubium 5. ff. Sed & si. C. de Legib. & c. Illud de Jure Patronat. Ratio est: tum quia per injuriam posteriori illatas non debet, nec potest auferri jus suum priori. Tum quia magna aperiretur via fraudibus & dolis, dum quis liberari à priori Sponsa, & cum alia conjungi cupiens, absque omni alia causa illico se liberare posset, spondendo nempe alteri Matrimonium, & copulam cum eadem habendo.

Limitat quidem Sanchez loc. cit. numer. 6. & alii Conclusionem in casu, quo posterior Sponsa, grave, & non aliter quam Matrimonio repabile damnatum patitur, eòquã Sponsa prior nullum, vel non nisi modicum damnus sentiret; tunc enim ajunt, hanc ex æquitate saltem, & charitate teneri cedere juri suo, & sustinere leve damnus illud, ut altera à gravi liberetur. Verùm hanc limitationem saltem pro Foro externo meritò rejicit Gutierrez loc. cit. num. 7. Tum quia nullo Jure potest probari, ut, quòd sibi de Jure competat, alteri ex charitate relinquatur, vel ad libe-